

**Anonymus Parisinus**

**‘Coriolanus’**

Tragoedia  
(1683)



Jan-Wilhelm Beck  
Institut für Klassische Philologie  
Lehrstuhl Lateinische Philologie  
Universität Regensburg  
Universitätsstraße 31  
93040 Regensburg  
Mai 2006

## Personae

Accius Tullius Aufidius	Volscorum dux
C. Marcius Coriolanus	
Veturia	Coriolani mater
Volumnia	Coriolani uxor, Tullii soror
Q. Marcius	Coriolani filius
Brutus	Romanorum legatus
Albinus	tribunus militum, Coriolano fidus
Sextus	tribunus militum, Tullio fidus
Milites	

<Chorus>

## Argumentum

C. Marcius Coriolanus, vir inter Romanos bellica laude clarissimus et optime de patria meritus, a plebe, cuius audaciam ac protervos in nobilitatem impetus comprimere conabatur, in exilium pulsus, ad Volscos, Romanorum hostes, se recepit. a quibus accepto exercitu, Romam obsidione cinctam ad extremas redigit angustias. cumque nullis civium legationibus flecteretur, tandem victus Veturiae matris ac Volumniae uxoris precibus, a bello abstinuit. moxque seditione a Tullio Aufidio, viro in Volscis principe ipsiusque gloriae invido, contra illum concitata, interfectus est; nec multo post ipse Tullius in praelio ad Romam caesus.

*Scena in castris Coriolani ad Romam*

## **Prologus**

*Proloquetur Chorus musicus.*

## **Actus primus**

Coriolanus, legatis Romanorum, qui de pacis conditionibus cum illo acturi venerant, remissis ac repudiata pace, filium exilii comitem alloquitur et, quo sua consilia spectent, edocet: patriae, quanquam ingratae, causam in hoc bello et gloriam sibi tantum esse propositam. attonitum consilii novitate iuvenem de re tota pater certiore facere aggrediebatur, cum adest novus a Romanis orator. frustra Coriolanum flectere nititur, qui ruere consilia sua, nisi Roma caperetur, existimabat; frustra spondet acceptum iri, quascumque conditions pacis proponat. tandem abscedit, illud submonens, adhuc restare alios Romae oratores, quibus ille aures fortasse aequiores praebat. illo digresso, omnem consilii sui rationem filio Coriolanus exponit: id sibi constitutum esse, ut plebis Romanae arrogantiam frangat et eius impotenti iugo senatum ac nobilitatem liberet; tum Volscos etiam et Romanos ita conciliat ac iungat inter se se, ut unam in gentem ac rempublicam coalescant; ista nimirum coniunctione et Volscis de se tam bene meritis et Romanorum gloriae ac potentiae praecclare consultum iri.

ecce autem, ibi Albinus monet adventare Tullium. is erat Volscorum dux, Coriolani quidem, qui eius sororem duxerat, affinis; eidem tamen ob invidiam perinfensus. statim illi Coriolanus it obviam, relicto in castris Albino ac iusso neminem Romanum in castra admittere.

## Actus secundus

Tullius in omnem perdendi Coriolani occasionem intentus, cum rescivisset a Sexto sibi fido et in Coriolani exercitu legato, eum pacem cum Romanis meditari, sibi mandatum ab senatu Volscorum dandum curaverat, ut Coriolano manus iniiceret, si quid eum de pace cum Romanis ineunda moliri constaret; eoque consilio venerat in castra. sed vehementer obstupescit, ubi accipit non modo non confectam ab eo cum Romanis pacem, verum etiam brevi abrumpendas inducias, quas hortatu primariorum ducum ipsis concesserat.

audit interim Coriolanus adesse matrem et uxorem: fugit illarum conspectum scilicet ac Tullium rogat, eas Romam remittat, ne quid illarum precibus contra, quam statuerat, facere cogatur. Tullius, qui nihil malebat, quam ut Coriolanus de pace cogitaret, ut eum in fraudem et exitium inducat ac materna pietate ad eius animum inflectendum abutatur, promittit sorori suae, uxori Coriolani, facturum se, ut quam mox adsit ipsaque alloquatur; praedicat insuper se a pace alienum non esse. iamque abierat, ut Coriolanum adduceret idque ab eo exoraret, cum renunciat Marcius exorari patrem non posse. illae tamen, certae non ante exire castris, quam ipsum sint allocutae, confestim ad eum contendunt.

## Actus tertius

Coriolanus suae sibi in matrem et uxorem caritatis conscientius satisque intelligens utriusque lachrymis precibusque vix futurum se parem, vetat illas intro admitti; filiumque ad ipsas iterum allegat, qui sui videndi spem illis omnem ac voluntatem etiam, si potest, adimat. orare contra Marcius provinciamque deprecari; Tullius severitatem nimiam Coriolani atque acerbitudinem incusare: stat ille immobilis. at ecce, facto impetu irrumpunt in tentorium Veturia et Volumnia. quid agat Coriolanus? haeret, aestuat.

gratulatur interim sibi Tullius in sinu ac paene victum Coriolanum ratus, quasi ne colloquium interpellaret, abscedit. hic enimvero queri primum gravius de Coriolano mater et coniux; mox preces, lachrymas et suspiria omnesque artes et machinas, quibus pugnare poterant, haec in virum, illa in filium admovere; denique hominem labefactare, percellere, exarmare.

continuo re cum Coriolano bene gesta, pergunt eaedem ad Tullium, in quo uno iam pacis esse videbatur nodus et mora. ubi ad se Coriolanus redit, dolet se victum: hinc mater et coniux, inde bellum et pax, animum anticipitem in diversa trahunt retrahuntque; pacem tamen nolle pergit seque ipsum inertiae accusat.

## Actus quartus

Veturia et Volumnia victum penitus Coriolanum ratae, laetitiis omnibus incedunt. at istud gaudium dolor incredibilis excipit, cum illum de bello itidem ut ante cogitare certiores ab ipso fiunt. accident illico ad genua supplices atque, ubi nihil se vident proficere, denunciat mater, aut Romae parcendum aut uxorem simul matremque perdendam; suis ipsas corporibus illi aditum in urbem interclusuras. victus tam repentina et inexpectata vi atque impressione Coriolanus cedit pacemque, licet aegre, velut aliquid sinistrum ominatus, pollicetur; quam ut conficiat, pergit ad Tullium.

audiunt interim Veturia et Volumnia nonnihil ab Tullio in castris turbatum esse contra Coriolanum, cui hoc ipsum Marcius et Abinus afferebant. eundem Brutus ingemiscens renunciat, ubi primum pacis mentionem facere coepisset, ab Tullio quasi perduellem comprehensum fuisse. evolat Marcius cum Albino patrem armis repetiturus. Tullius adest ipse post paulo, ut Veturiam et Volumniam, quas rei totius ignaras adhuc putabat, castris educat. sed earum querelis et conviciis appetitus, excusatione utitur ea, quod ita senatus Volscorum iusserit. cum ipsis minime satisfaceret, abit mulieres querelas fugitans; abeuntem ambae cum Bruto prosequuntur.

## Actus quintus

Marcius, magna exercitus parte stipatus, patrem a Tullio repetitum ibat. occurrit Tullius, pugna conseritur.

interim Volumnia, quae viro, fratri et filio metueret, in Coriolani tentorium luctu perdita concedit. Veturia paululum progressa visendi studio, quae sors pugnae foret, milites quosdam fugientes conspicata, rem male gestam trepida suspicatur. sed ecce, metum discutit Albinus, victorem Marcius afferens: quo Veturia gaudio! quo dolore Volumniae, cum caesum in praelio fratrem audit! parabat eam Veturia consolari pluribus; verum de Coriolano sollicita, mittit Albinum, qui de illo resciat. sed quis ipsius sensus, cum ingemiscens Albinus actum esse de Coriolano refert; dimissum illum quidem a custodibus, sed cum ad suos se reciperet, a Sexto fugiente lethali vulnere percussum. ultorem quidem adfuisse Marcium, at serius patre iam vulnerato.

defertur ipse in tentorium Coriolanus, ubi supremis verbis filium, ne unquam bellum patriae quacumque de causa inferret, adhortatus, animam agit.

## Hinweise zur Textgestaltung

Zugrunde liegt das 8-seitige Programm der Aufführung im Pariser Collège de Louis le Grand de la Compagnie de Jésus von 1683 mit dem Titelzusatz „dabitur a secundanis in regio Ludovici Magni collegio societatis Jesu. Die prima mensis Martii, hora post meridiem“ und einer Übersicht über die „actorum nomina“ (S.8). Als Quellenangabe findet sich S.2 „Ex Plutarcho, Tito Livio, et Aurelio Victore“. Eine vollständige Ausgabe des Stückes selbst ließ sich leider bislang nicht nachweisen.

Die orthographischen Eigenheiten des Originals wurden nach Möglichkeit beachtet. Orthographie und Interpunktions wurden jedoch überarbeitet und vereinheitlicht. So wurde stets gedruckt *i* für *j*, *ss* für  $\beta$ . Im Darstellerverzeichnis wurde *Coriolani uxor* statt *uxor Coriolani* geschrieben und der Chor ergänzt. Unnötige ‘Kommata’ vor *et*, *atque* usw. wurden gestrichen, unpassende ‘Doppelpunkte’ ersetzt. Auf eine detaillierte Dokumentation aller Eingriffe in die Interpunktions sei hier jedoch verzichtet.

Akt 1   *ibi Albinus* statt *tibi Albinus*